


P. MATTHIA


CONCIONES


1587













BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS



CONCIONES QVAE IN TRIBVS DIEBVS

Publicarum precationum,
27. 28. 29. Martij
Ecclesiæ propo-
nentur.

P. Math.



HAFNIÆ
Impreßit Matthias Vinitor
ANNO

M. D. LXXXVII.

AVGVSTINVS
lib. de pœnit.

SI pœnitentiam agis, pœnites: Si non pœnites, pœnitens non es. Si ergo pœnites, cur facis quod malè fecisti? Si fecisse pœnitet, noli peccare: Si adhuc facis, certè non es pœnitens.



CON.



CONCIO PRIMÆ Diei.

Oseæ 4.



AVdite Verbum DOMINI, filij Israël, quoniam DOMINVS litem intendet habitatoribus terræ.

Non veritas, non beneficentia, non Dei cognitio est in terra, sed periuria, mendacium, cædes, furtum, adulterium inundauerunt, & sanguines attingunt sanguines.

Propterea lugebit terra, & excindentur omnes habitatores eius, vnà cum bestijs agri, & volatilibus cœli, quin & pisces maris deficient.



EXORDIVM.

INgens & deploranda plurimorum hodie obstinatio est, qui etsi vident plurima, eaq; manifestissima, iræ Diuinæ signa: tamen veluti cœcutientes, ea contumaciter aspernantur. Ardet bellis totus ferè orbis Christianus: neq; bellis tantum, verùm etiam seditionibus, in quibus grassatur omne genus malorum ac scelerum. Res ipsa docet, Papam, iuratum Christi hostem, cum suis complicibus, Regibus & principibus potentissimis, in Ecclesiæ filij Dei internecionem planè coniurâsse, ita pluribus nunc annis, extrema & inaudita crudelitas, passim exercetur in eos, qui

puri-

puriorem Euangelij doctrinam amplexi sunt. Euertuntur regna, prouinciæ, ciuitates, quas etiam nostrâ ætate, vidimus florentissimas: & omnino apparet, nō antea eos arma deposituros, nisi Deus eorū furores potenter represserit, quàm Ecclesiis, quæ à Papa secessionem fecerunt, funditus deletis, veráq; Euangelij luce extincta, pontificias tenebras, rursus in Ecclesiam introduxerint. Ad hæc ingentia mala, nō iam procul à nobis, sed prope nos, & ante fores existentia, nostrisq; ceruicibus imminentia, accedunt etiam alia haud leuiora, fames, pestis, magna vbiq; rerum caritas, & maior fortè metuenda: Obitus multarum illustrium personarum, ex Regia familia, quæ vnius prope-

modum anni ſpatio, à Deo ex hac vita ſunt euocatæ: indicium, ſine dubio, maioris alicuius mali, quod Deus clementer tamen auertat, nobis, propter peccata noſtra, niſi maturè reſipiſcamus, impendentis.

Hæc & id genus alia, innumera penè mala, etſi apertè teſtantur, ſeueriſsimam Dei iram, etiam aduerſus nos, accenſam eſſe, noſq́ in extremis periculis & difficultatibus verſari: tamen plerīq ſecuri interim ſtertimus, ludimus, deliciamur, neq; mouemur luctuoſiſsima aliorum calamitate, ſed quaſi omni metu defuncti, vicijs & cupiditatibus noſtris indulgemus, ac furenter, peccata peccatis cumulamus: tantum abeſt, vt vel iuſtiſsimæ iræ Diuinæ, vel triſtiſsimorum malorum

rum

rum metu territi, verâ nos pœnitentia, ad Deum conuertamus, præsentes atq; imminentes calamitates, seriò deprecaturi.

Meritò igitur laudandus est, Rex noster clementissimus, qui intuens præsentem rerum statum, verè afficitur tam tristi Ecclesiæ, & multorum piorum calamitate: Et quæ singularis eius est pietas, agnoscit non leuiores pœnas, hisce regnis imminere, nisi Deus, seriò inuocatus, propter Filium, clementer eas auerterit.

Ordinauit igitur eius Maiestas, tres hosce solennes precationum dies, vt per vniuersum Regnum, conuocatâ Ecclesia, pro præsentibus atq; imminentibus malis, clementer à nobis tollendis, seriò &

ardenter, ad Deum preces fiant.
Quare decet, vt ad tam pium ac ſe-
rium, optimi & pijßimi Regis no-
ſtri mandatum, excitati, omni ex-
cuſſo veterno, omnibuſq́; auocamen-
tis ſepoſitis, tribus hiſce diebus, ad
preces noſtras, ſeriò & ardenter,
ad Deum faciendas, frequentes
conueniamus.

Filius Dei, Dominus noſter
Ieſus Chriſtus, qui ſedet ad dexte-
ram Patris, interpellans pro nobis,
accendat in nobis, Spiritum illum
gratiæ & precum, vt agnitâ iu-
ſtißima ira Dei, noſtrâq; miſeria,
& multiplicibus periculis, quibus
vndiq; cincti ſumus, omni animi
ſubiectione ac humilitate, ad De-
um, tanquam ad tutißimum aſy-
lum, precibus noſtris confugiamus,
nihil

nihil dubitantes, quin per ac propter Filium ſuum vnigenitum, in cuius nomine, preces noſtras ſuppliciter, veriſq́ cordis gemitibus, coram eo fundimus, clementer nos ſit exauditurus.

Nunc ad Prophetæ concionem ſuprà recitatam, accedamus, quam in tres partes diuidemus.

1. Continet ſeriam denunciationem iræ Diuinæ aduerſus Iſraëlitas.

2. Enumerationem habet grauiſſimorum ſcelerum eius populi.

3. Oſtendit atrociſſimas pœnas, tam atrocia ſcelera ſecuturas.



Audite Verbum Domini Filij Israël, quoniam Dominus litem intendet habitatoribus terræ.

Hæc est prima huius Concionis pars, in qua Propheta, seriò iram Dei Israëlitis denunciat.

Apparet autẽ magnam fuisse Israëlitarum contumaciam, qui spretis omnibus Diuinis comminationibus, securè peccatis suis indulgebant: Ideo initio eos, veluti alto somno sopitos, excitare studet: Audite, inquiens, Filij Israël, *quasi dicat: Satis iam satis, peccatis vestris securè indormîstis: satis superq́ aures vestras, ad omnes conciones, clausas tenuistis: Nunc verò tempus est, vt è somno exciti, aures vestras, ad audiendum quæ dictu-*

rus

rus ſum aperiatis. Vt autem eos attentiores reddat, maioremq́; ijs quæ dicturus erat, authoritatem conciliet, non ſuum, ſed Domini verbum, quod Prophetis familiare eſt, ſe allaturum dicit. Poſtremò, oſtendit quodnam illud verbum Domini ſit: nimirum, quod non velit iam ampliùs Dominus ad eorum ſcelera conniuere, ſed præſentem litem illis intendere.

Hæc ſeria & grauis eſt commonefactio, de ira Dei, quam Propheta, non ex ſe, ſed ex Dei iuſſu, Iſraëlitis denunciat.

Cogitemus autem eandem cōmonefactionem, ad nos quoq; pertinere, qui non minùs quàm Iſraëlitæ, peccata peccatis indies cumulamus: Cumq́; non deſint, pij verbi miniſtri

ſtri, qui tanquam Dei legati, etiam hodie, vicia & peccata noſtra, grauiter taxent, ſimulq́ ſeriò nos commonefaciant, de iuſtiſsima ira Dei, nobis propter peccata imminente, ne obturemus aures noſtras, ad verbum Dei: ſed excitemus nos, ad audiendum Deum, per miniſtros ſuos, nobis loquentem, neq; ſurdâ aure, tam ſeriam Dei commonefactionem excipiamus, quod alioqui, maior pars hominum, proh dolor, facere ſolet, quæ ſecura, omnes pias ac ſalutares cōmonefactiones, veluti aniles fabulas, ridet ac ſceleratè contemnit. Quin potiùs cogitemus, non hominis, ſed Dei vocem eſſe, quam verbi miniſter ſonat, ideoq; non aliter eum, è ſuggeſtu docētem, quàm Deum ipſum, è cœlis nobis loquen-

quen-

quentem, audiendum, iuxta illud Christi, Luc: 10. Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.

Audimus nunc grauissimam hanc cōmonefactionem, de ira Dei, aduersus nos vsque adeò accensa, vt iam in iudicio nobiscum contendere Deus velit. Hac tam seria admonitione, veluti fulmine cœlesti perterriti, cogitemus quàm planè nobiscum actum sit, si coram iustissimo Dei tribunali, nobis sit comparendum.

Agnoscamus nostram miseriam, & multiplicia peccata, quibus iustissimam iram Dei, aduersus nos excitauimus: nec esse aliquam nostram iusticiam, quâ coram tribunali Dei consistere possumus: Ideoq́ nos humiliemus, sub potenti

manu

manu Dei, & abiectâ omni nostræ dignitatis fiducia, verâ animi humiliatione, coram facie eius nos prosternamus, sæpè, veris cordis gemitibus, intimisq́ suspirijs, hanc cum Dauide precationem repetentes: Domine ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo, omnis viuens. Psal. 143. Et, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis cōsistet? Psal. 130.

DE SECVNDA *Parte.*

Non veritas, non beneficentia, non Dei cognitio est in terra: Sed periuria, mendacium, cædes, furtum, adulterium inundauerũt, & sanguines attingunt sanguines.

Hæc est altera pars concionis

nis propheticæ, in qua causam indicat, cur Deus populo Israëlitico, litem intendere constituerit, nimirum multiplicia istius populi peccata ac scelera.

Non est, inquit, veritas in terra.

Nulla est animorum integritas, nulla synceritas, nulla in promissis, fides aut constantia, nulla mentis & orationis conuenientia.

Nulla beneficentia.

Nullus mutuus fauor, nulla misericordia. Hisce autem duabus virtutibus, veritate scilicet & beneficentia, è medio sublatis, facilè etiam, reliquæ virtutes omnes, quæ in secunda tabula Decalogi exiguntur, corruunt.

Non Dei cognitio est in terra.

Hoc est, Nullus in hominibus cernitur verus Dei timor. Nam hic nascitur ex notitia Dei: Ideoq; frustrà, de Dei notitia gloriantur, quorum tota vita, testatur eos omnem verum Dei timorem abiecisse.

Atq; hæc, tria illa sunt præcipua, quæ in populo Israëlitico, Propheta desiderat, veritas nimirum, beneficentia & Dei cognitio: Nunc è diuerso, teterrima vicia, in isto populo grassantia, enumerat.

Sed, inquit, periuria, mendacium, cædes, furtum, adulterium, inundauerunt.

Hæc sunt maxima & horrenda scelera, quibus Israëlitæ, iram Dei, aduersus se prouocârunt, adeò, vt tandem litem ijs intendere voluerit. Quàm autem nostræ ætatis homi-

hominum mores, eorum similes sint, res ipsa, proh dolor, loquitur. Vbi enim veritas? vbi beneficentia? vbi verus Dei timor? Quid autem nunc vsitatius, quàm iurare, execrari, quod apud nos, pueri, priùs penè discunt, quàm loqui nôrunt, mentiri, dolis ac fraudibus inuicem circumuenire, quod etiam ingenij laudem habet, occidere, adulterari? Hæc ita nunc sunt familiaria, vt propemodum in mores abijsse, ac pro virtutibus haberi videantur. Quod autem addit Propheta:

Et sanguines attingunt
sanguines.

Significat non solùm cædes, fuisse in isto populo frequentissimas, ita vt vna aliam exciperet:

 Sed

Sed grauißima quæq; scelera, ijs fuisse familiarißima, ita vt vbiq; obuersaretur horribilis facies scelerum, quod, quàm verè ad nostra hæc tempora quadret, quotidianâ experientia notum est.

Cùm autem Propheta, hanc concionem, ad totum populum Israëliticum, non ad aliquam duntaxat eius partem habuerit, cogitemus etiam omnibus nobis, eandem hodie proponi, qui in ijsdem, cum ipsis, sceleribus hæremus, ne quis ex hoc numero, ad quos hæc concio pertinet, sese eximat. Neq; enim hîc, homicidij, furti, adulterij tantum insimulantur, quales hodie ad furcas & alia supplicia trahuntur: sed etiam, qui dignitate & opibus, præ alijs sunt conspicui, quemadmodum

modum exclamat *Esaias* cap. 1. Principes tui sunt latrones, & socij furum.

Sed quæ tandem pœna eos manet, qui omni timore Dei deposito, in quæuis scelera sese furenter prouoluunt? Eam demonstrat Propheta, in tertia parte, quæ nunc breuiter explicanda restat.

DE TERTIA parte.

Propterea lugebit terra, & excindentur omnes habitatores eius, vnà cum bestijs agri, & volucribus cœli, quia & pisces maris deficient.

Hæc est tristißima & grauißima pœna, quam Propheta Israëlitis, propter grauißima eorum scelera, denunciat: & Hieronymus,

mus, hunc locum enarrans, refert hanc pœnam, accidisse populo Israëlitico, quando decem tribubus, in captiuitatem abductis, & habitatore sublato, bestiæ quoq; & volucres cœli, & pisces maris deficerent, iramq; Domini, etiam muta elementa sentirent: Cùm autem de similibus, sani homines eodem modo iudicent, faciles coniecturæ ex ÿs, quæ olim acciderunt, de horum temporum peccatis & pœnis sumi possunt. Necesse autem est nos fateri, non solùm iam antea enumerata scelera, verùm etiam alia quàm plurima, non minùs atrocia, hodie paßim grassari, vt sunt, detestanda superbia, immodicus luxus, ebriositas, inexplebilis auaritia iniustæ vsuræ, odia, paupe-

rum

rum oppreßiones, & id genus alia, quæ vsqueadeò nunc inualuerunt, vt etiam instar diluuij, prorsus inundasse videantur, dum quotidie augentur peccata peccatis, & nouis semper vetera cumulantur. Quare neq; mirum alicui videri debet, si hodie, similibus quoq; pœnis, cum ijs obruamur.

Quàm tristis, quæso, pluribus nunc annis, auditur luctus eorum, qui crudelißimè, multis in locis ab immanißimis hostibus mactantur? Quanta miserorum hominum calamitas, qui exuti omnibus fortunis, cum vxoribus & liberis, qui cruentas hostium manus euaserunt, exules in peregrina loca, sese recipere coguntur?

Sed quid est, quòd Propheta,

etiam alijs animantibus, vtpote pecudibus, auibus & piscibus, tam graues pœnas denunciet, cùm indignum videatur Deo, vt in miseras creaturas sæuiat, quæ nihil tale meritæ sunt? Responsio facilis est, Deum non tantum homines ipsos, vtpote qui peccârint, verùm etiam, reliqua omnia, in vsum hominis creata, iustè perdere, vt eorum pœna, etiam in homines redundet, ac maiore metu iræ Diuinæ, homines percellantur. Si enim vindicta Dei, extendat se in creaturas innoxias, quid futurum est hominibus, tot tantisq́ue sceleribus deformatis?

Etsi autem pecora & aues, nemo fortè desiderauerit: tamen videmus miseras pecudes, contagi-
osis

osis morbis infectas, sæpiùs concidere. Quàm verò pisces, pluribus nunc annis deficiant, magno nostro incommodo, magis ac magis experimur. Fuit aliquando lætissima, piscatio illa in Schania: Fuit & illa læta aliquandiu, in Noruegia, licet difficilior: Verùm vt illa, pluribus nunc annis, prorsus desijt: ita & hanc, paulatim desinere videmus, vt metuendum sit, ne etiam hæc, in vniuersum tandem, à nobis auferatur, ob eandem indubiè causam, multiplicia videlicet scelera, quæ cùm alibi, tùm illic maximè grassantur, & miserorum hominum iniustam oppreßionem, quorū grauißimæ querelæ quotidie audiuntur. Verè igitur nunc mœrebūt piscatores, sicut prædixit Esaias,

 cap: 19.

cap: 19. Et lugebunt omnes, qui mittunt in flumen hamum, & qui expandunt rete, super faciem aquarum, erunt in magno luctu &c.

Si has iustißimæ iræ Diuinæ pœnas, securi contempserimus, metuendus certè, etiam nobis erit, finalis tandem interitus: Sin autem non alieno solùm, sed & proprio malo edocti, seriâ nos pœnitentia, ad Deum conuerterimus, ostendet se Deus nobis misericordem, qui commeritas pœnas à nobis clementer auertet, nosq́; omni benedictionum genere affatim cumulabit, quemadmodum sequente concione, Deo volente, audiemus.

CON-

CONCIO SECVNDÆ Diei.

Oseæ 14.

DEuastabitur Samaria, quoniam rebellauit DEO suo. Per gladium cadent, paruuli eorum allidentur, & prægnantes eius discindentur.

Conuertere Israël ad DOMInum Deum tuum, quoniam corruisti propter iniquitatem tuam. Accipite vobiscum verba, & conuertimni ad DOMINVM, & dicite ad eum: Omnem aufer iniquitatem, & benefac nobis, & reddemus vitulos labiorum nostrorum, Assur non saluabit nos, super equum non ascendemus, neq; dicemus vltrà operibus manuum nostrarum: Dij nostri. Quia per te, misericordiam consequitur pupillus.

Sanabo auersionem eorum, Diligam eos mea sponte, quoniam furor meus auersus est ab eo. Ero Israël tanquam ros, & florebit tanquam rosa: Figet radices suas sicut Libanus: Diffundentur rami eius, & erit sicut olea pulchritudo eius, & odor eius sicut Libani: Qui sub vmbra eius sedent recreabuntur: Alentur frumento, & sicut vitis florebunt: Memoriale eius sicut vinum Libani.

ENARRATIO.

Audiuimus heri seuerissimam Oseæ concionem, quâ Israëlitis, propter multiplicia eorum scelera, iustißimam Dei iram, & grauißimas pœnas denunciat. Nec est priori dißimilis, hæc eiusdem Prophetæ concio, in cuius initio, Samariæ ac toti regno, propter istius populi pertinacem contumaciam

ciam aduersus Deum, propinquum exitium instare prædicit. Ne autem ad tam grauem comminationem, prorsus desperent, quasi nullus iam amplius locus misericordiæ, apud Deum relictus sit, hortatur eos ad seriam pœnitentiam, additis amplissimis promissionibus, de singulari Dei misericordia, erga eos, qui verâ pœnitentia, ad eum confugiunt. Diuidamus igitur & hanc concionem in tres partes.

1. Est grauissima comminatio.

2. Seria exhortatio ad pœnitentiam.

3. Amplissimæ promissiones, quibus verè pœnitentibus, gratuita Dei misericordia offertur.

DE

DE PRIMA Parte.

Deuaſtabitur Samaria, quoniam rebellauit Deo ſuo, per gladium cadent, paruuli eorum allidentur, & prægnantes eorum diſcindentur.

Grauiſsima eſt hæc comminatio, in qua Propheta primùm denunciat Iſraëlitis, pœnam ipſis impendentem: Deinde pœnæ cauſam oſtendit.

Quod pœnam attinet, ea certè eſt, quâ nulla alia, cogitari poteſt atrocior, videlicet Samariæ & totius regionis extremus interitus, qui etiam pòſt ſecutus eſt, annis plus minus quinquaginta, quando Salmanaſſar, Rex Aſſyriorum, Samariam, quæ metropolis erat regni,

gni,

gni, triennio obſeſſam, expugna-
uit, regemq́ Oſee vinctum in car-
cerem coniecit, ac decem tribus Iſ-
raël, in Aſſyriam captiuos abduxit,
quemadmodum teſtatur hiſtoria,
quæ recitatur 2. Reg. 17. & 18.

Vt autem, hæc tam grauis
comminatio, altiùs eorum animis
inſideat, magiſq́ eâ terreantur,
tam profani verbi Dei contempto-
res, exaggerat eam Propheta, ab
hoſtium crudelitate, qui nulli, neq;
ætati, neq; ſexui, parſuri eſſent.
Q. D. Non ſatis erit, ciues Sa-
mariæ, & incolas totius regionis,
ab hoſtibus miſerè trucidari: Sed,
quod dictu eſt horribile, etiam par-
uuli eorum allidentur, & prægnan-
tes diſcindentur. Quanta autem
miſeria fuerit, parentes intueri par-
uulos

uulos ſuos , in cunis adhuc vagien-tes, & à matris vberibus penden-tes, ſaxis & parietibus illidi: gra-uidas mulieres, gladijs diſcindi, & fœtus ex earum viſceribus trahi: ac tandem poſt triennij obſidio-nem, tantam multitudinem homi-num, proprijs ſedibus & fundis e-iectam, in peregrinum regnum transferri, nemo niſi expertus, fa-cilè crediderit, imò ne cogitârit qui-dem mens pia tantam calamitatem, quin maximè cohorreſcat.

Cauſam autem tam triſtis e-uerſionis regni Iſraëlitici, aßignat Propheta, inquiens: Quoniam re-bellauit Deo ſuo. *Non igitur accuſa-bunt Deum iniuſticiæ, quaſi ni-mis graues pœnas, ab ipſis exigeret: Sed cogitabunt ſe iuſtas ſuæ rebel-*

lionis

lionis pœnas luere, qui Suum Deum, qui scilicet eos, in peculiarem populum sibi delegerat, certoq́; fœdere sibi obstrinxerat, tam scelestâ sua obstinatione, in se concitârant.

Moueat igitur nos, hæc tam tristis pœna Israëlitarum, vt seriò cogitemus, quàm grauis & horrenda res sit peccatum, quod non solùm in adultis, verum etiam in puerulis, tanta seueritate Deus punit. Si enim infantuli, & qui hanc lucem nondum aspexerunt, tam horribiliter puniuntur, quid fiet adultis? quid fiet senibus, qui totâ vita, non destiterunt vindictam Dei in se prouocare?

Viderunt plurimi, proximis annis, & adhuc, proh dolor, vident, tam horrenda spectacula, in Gal-

lia, Belgio, & alibi paſsim: Et fuerunt eiuſdem crudelitatis ſpectatores, multi in Schania, durante bello Suetico: Interim tamen nos, nullis neq; comminationibus, neq; pœnis Diuinis emendati, ſeriò ad Deum conuertimur, quin magis corda noſtra obdureſcere, & quaſi callum obducere videntur, adeò vt veriſsimè in nos quadret, illud Ierem: 5. Domine, tu percutis eos, ſed ipſi non ſentiunt dolorem: affligis eos, ſed non emendantur: duriores ſaxis ſunt facies eorum, & nolunt conuerti.

Pudeat igitur nos tandem, tam ſceleſtæ noſtræ obſtinationis, & moti præſentibus & imminentibus periculis, cogitemus ſeueriſsimam illam Chriſti comminationem

Lucæ

Lucæ 13. etiam ad nos pertinere: Nisi pœnitentiam egeritis, Omnes similiter peribitis. Nam & multitudo nostrorum peccatorum, & magnitudo periculorum, quibus vndiq; cingimur, testantur Deum, gladium suum aduersus nos vibrâsse, arcum suum tetendisse, telaq; sua & sagittas parauisse, quas iam iam, in nos eiaculabitur, nisi ad eum conuersi fuerimus, quemadmodum grauiter minatur Dauid psal: 5. Hæc autem conuersio, quomodo fieri debeat, in sequente parte, Propheta perspicuè docet.

Conuertere Israël ad Dominum Deum tuum &c.

Magna est diuina clementia & bonitas, quâ miseros peccatores grauissimis sceleribus deformatos, tam benignè suffert. Cùm enim iustissimo suo iudicio, posset peccantibus præsentes pœnas irrogare: tamen non subitò effundit furorem iræ suæ, sed differt pœnas, & homines, ad seriam pœnitentiam, blandissimè inuitat, non volens mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, quemadmodum non solùm plurima sacræ scripturæ testimonia, verùm etiam exemplum Niniuitarum, & narratio de ficu, Lucæ 13. euidenter testantur.

Eodem

Eodem modo, etiam in hac concione, facit Propheta, qui grauißimæ comminationi, amicam exhortationem ad pœnitentiam subiungit, ne Iſraëlitæ, propter peccatorum ac iræ Diuinæ magnitudinem deſperent, & à Deo prorſus deficiant: Sed vt agnitâ cùm propria miſeria, tùm gratuita Dei miſericordia, verâ ac ſeria pœnitentia, ſe ad Deum conuertant.

Cùm igitur dicit: Conuertere Iſraël ad Dominum Deum tuum. Primò, oſtendit miſerrimam eſſe hominis peccatoris conditionem, qui quàm diu perſeuerat in peccatis, magis magiſq́ à Deo recedit, & propinquior fit Diabolo, quo nihil de miſero peccatore, cogitari poteſt triſtius. Deinde docet veram ac

ſalutarem pœnitentiam, nihil aliud eſſe, quàm conuerſionem ad Deum, vt à quo hactenus, Iſraëlitæ, peccatis ſuis indulgendo, ſe auerterant, ad eundē nunc, peccatis renunciando, ſeſe conuertant. Poſtremò, particulâ, Tuum, ſpem facit populo Iſraëlitico miſericordiæ conſequendæ, quaſi dicat: Ne metuas ad Deum reuerti, tanquam implacabilem, ſed cogita illum eſſe Tuum Deum, qui te populum ſibi elegit, ideoq́; ſingulari fauore & beneuolentia te complectitur, ne quid de eius miſericordia dubites, modò ad eum conuerſus fueris. Quomodo autem fiat iſta conuerſio, deinceps Propheta exponit.

Ac primò docet, in vera conuerſione, requiri ſeriam peccati agni-

agnitionem, ideo repetit hîc causam tantarum calamitatum, dum inquit: Quoniam corruisti propter iniquitatem tuam. *Vult enim Israëlitas excitare, vt agnosant malum suum, peccatũ videlicet, vt eo agnito, discant ad Deum, tanquam præsentem ac vnicum opitulatorem confugere: Ideo subiungit:* Accipite vobiscum verba, & conuertimini ad DOMINVM. *Q. D. Ne securè contemnatis, hanc tam grauem comminationem, ac salutarem exhortationem ad pœnitentiam: Nec sinite hæc verba, quæ iussu Dei vobis loquor, in ventos abire: sed agnoscite, & Dei iusticiam in puniendis peccatis & multiplicem vestram iniquitatem, propter quam ita grauiter corruistis, vt nisi benignâ Dei manu erectis, nulla prorsus*

sus vobis sit resurgendi spes. Quàm diu autem homo, non seriò agnoscit peccatum, neq; tangitur vero sensu peccati, nunquam cogitat ad Deum reuerti, sed pergit peccata peccatis furenter cumulare, donec tandem in extremum exitium ruat. Deinde ostendit Propheta, fidem necessariam esse in vera conuersione, dum certam precandi formam, quâ vtantur, ipsis praescribit. Neq; enim, nisi vera fide praelucente, eiusmodi precatio, à quoquam fieri potest. Nos singula eius precationis membra, quia singulare pondus habent, sigillatim videbimus.

Omnem aufer iniquitatem.

Hoc est PRIMVM *precationis membrum, in quo omnium de-*

um delictorum veniam petere iubentur, quod tacitè ostendit requiri in homine verè pœnitente, agnitionem simul & confeßionem peccati. Qui enim peccata & quidem Omnia à se auferri petit, is certè agnoscit se, non vno aut altero, aut paucis etiam peccatis grauatum, sed sentit se ingente peccatorum mole oppressum esse: hancq́ extremam suam miseriam, non dissimulat, sed apertè coram Deo confitetur, à quo solo, tanti oneris leuationem, certâ fide petit atq́ expectat. Necesse est enim in vera agnitione & confeßione peccati, prælucere fidem, quâ petitur & accipitur remißio peccatorũ. Nam sine fide, inutilis est, seu agnitio, seu confeßio peccati, sicuti testantur

tur

tur tristißima exempla Saulis, 1.Sam: 15. Iudæ & aliorum. Vera autem agnitio & confeßio peccati, cum vera fide coniuncta, cernitur in Dauide, qui à Nathane, grauiùs de adulterio & homicidio accusatus, inquit: Peccaui Domino, moxq́ audiuit lætißimam absolutionem à Propheta: Dominus transtulit peccatum tuum. 2. Sam. 12. Hanc confeßionem repetit Dauid psal. 32. Dixi, confitebor transgreßiones meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Quàm Diu autem dißimulantur aut reticentur peccata, ingens dolor & tristitia oritur in animis hominum, sicuti dicitur in eodem psalmo: Quoniam tacui, contabuerunt ossa mea, dum rugirem tota die. Sequitur in precatione:

Et benefac nobis.

SECVNDVM precationis membrum, quo bona corporalia petuntur, Q. D. Domine, primùm recipe nos in gratiam: Deinde re ipsa testare, te nobis esse propitium, nempe externis beneficijs. Neq; enim simpliciter Deus recipit nos in gratiam, sed re ipsa etiam ostendit, non frustrà se reconciliatum nobis esse, dum omni nos benedictionum genere cumulat. Sequitur præterea:

Et reddemus vitulos labiorum nostrorum.

TERTIVM precationis membrum, quod requirit gratitudinem erga Deum, pro acceptis beneficijs. Vitulos enim labiorum vocat Propheta laudes, quas

Deus à nobis requirit, quasi præcipuum sacrificium, quo ipse delectatur, veluti psal: 50. Immola Deo sacrificium laudis. Vult enim Deus agnosci & prædicari sua beneficia, quemadmodum in eodem psalmo præcipit: Inuoca me in die tribulationis, eripiam te, & honorificabis me. Ad hoc sacrificium laudis, Deo reddendum, omnes pij cum Dauide obligantur, psal: 69. Laudabo nomen Dei cantico, magnificabo eum laudibus, & placebit Deo magis quâm taurus aut iuuencus, qui cornua producit & vngulas. Item psal: 116. Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Additur deinceps in precatione:

Assur non saluabit nos, super equum non ascendemus, neque dicemus vltrà operibus manuum nostrarum: Dij nostri.

QVARTVM precationis membrum, admonet de noua obedientia, quæ in vera ac salutari pœnitentia necessariò requiritur. Notantur autem hîc duo grauissima Israëlitarum peccata, quibus se in posterum renunciaturos promittunt, Peruersa videlicet fiducia humanarum virium, & horrenda Idololatria. Assur non saluabit nos. *Hoc est, posthac non sperabimus in Assyrijs, nec in equis, seu, non confidemus potentia Assyriorum, & apparatu bellico, quemadmodum hactenus fecimus, sed tibi soli adhærebimus. Nam qui neglecto vero Deo*

ro Deo, ſpem ſuam & fiduciam collocant in humanis præſidijs, honorem ſoli creatori debitum, in creaturam impiè transferunt, quibus extremam maledictionem Hieremias denunciat, cap: 17. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius: Contrà verò, beatum, hoc eſt, Deo gratum & acceptum pronunciat, qui confidit in Domino, & cuius fiducia eſt Dominus. Et multorum exempla teſtantur, quantopere diſpliceant Deo, fœdera cum impijs inita, veluti Aſæ, qui contra Baaſa, regem Iſraël pugnaturus, fœdus inijt cum Benadab, rege Syriæ, 2. Paral. 16. Item confœderatio Ioſaphat cum Ochozia, impio rege

Iſraël

Iſraël, 2. Paral. 20. *Velle autem* Deum ſibi ſoli aſcribi omnem laudem victoriarum in bellis, teſtatur glorioſiſsima illa victoria Gedeonis, quæ recitatur, Iud: 7. Quàm malè etiam ceſſerit Dauidi, illa populi numeratio, oſtendit 2. Sam. vltimum caput.

Diſcamus igitur, acquieſcendum eſſe, in ſolius Dei præſidio, & fugiendam eſſe, impiam fiduciam humanarum virium, quæ fallax eſt & ficulnea, ſicuti dicitur pſal: 20. Hi in curribus, hi in equis nos autem in nomine Dei noſtri pugnabimus. Et pſal. 33. Non ſaluatur Rex, per multam virtutem, Gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ: Fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.

Alterum peccatum, quod Propheta vult Iſraëlitas deprecari, eſt Idololatria, per quam intelligit, non ſolum cultum, qui exhibetur Dijs ficticijs, ſed etiam quamuis impiam fiduciam, quâ creatura creatori præfertur. Etſi autem noſtri homines, hoc peccatum minimè agnoſcunt, tamen eius quoq; ſe reos eſſe teſtantur ij, qui ad opes & diuitias cumulandas, vel quaſcunq; res alias, fœliciùs conficiendas, illicitis & prohibitis medijs vtuntur. Sequitur vltima particula precationis:

Quia per te, miſericordiam conſequitur pupillus.

QVINTVM precationis membrum, monet pœnitentes, vt veram animi humilitatem ad Deum

um

um adferant: Ideo præcipit Iſraëlitis, vt omni humilitate ſeſe coram Deo abijciant, agnoſcentes ſe, veluti orphanos, omni ope & auxilio humano deſtitutos, à ſolius Dei miſericordia pendêre. Huic orphanorum numero, nos quoq; adiungamus, & ſepoſitâ omni humana fiducia, ad Dominum confugiamus, nec quicquam dubitemus, quin nobis orphanis verè adiutor ſit futurus, pſal 10. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.

Sed arduum eſt & difficile, hominem peccatorem, poſſe immenſam hanc Dei miſericordiam, certâ & indubitata ſpe atq; fiducia apprehendere: Ideo audiendæ ſunt dulciſſimæ promiſſiones, quibus in ſequente parte, Propheta

miſerum

miserum peccatorem, sensu iræ Dei & peccatorum oppressum, veluti manu porrecta erigit, eiq; paratissimum remedium, in Dei misericordia propositum monstrat.

DE TERTIA Parte.

Sanabo auersionem eorum, diligam eos mea sponte. &c.

Hæ sunt dulcissimæ promissiones, consolationum plenissimæ, quibus ostendit Propheta, Deum paratissimum esse opitulatorem, omnibus ijs, qui omnem suam miseriam, in eius sinum effundunt, & ab eius tantum misericordiæ vberibus pendent.

Si igitur te terret, peccatorum tuorum multiplex deformitas,

tas, quæ veluti putrida vulnera fœtent in conspectu Dei: audi Deum, hîc per Prophetam, medicas manus tibi porrigentem: Ego, inquit, sanabo auersionem eorum. Et apud Esaiam, cap: 43. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitatem tuam &c.

Ne quis autem, propter suam indignitatem, hunc medicum formidet, promptam & gratuitam ipsis operam offert, inquiens, Diligam eos mea sponte, *hoc est, Non propter aliqua ipsorum merita aut dignitatem, sed tantùm misericordiâ motus, eos in gratiam recipiam. Et ne metuant sibi à furore eius, dicit eum auersum esse. Non enim in perpetuum contendet Deus, sed humanis miserijs verè afficitur,*

& furorem suum ab omnibus ijs subitò auertit, qui seriâ pœnitentia ad eum confugiunt, sicuti exemplum Niniuitarũ manifestè docet.

Et ne quis de amplissimis hisce Dei promissionibus dubitet, subijcit Propheta pulcherrimas similitudines, quibus infallibilis earum veritas confirmatur.

Ero Israëli tanquam ros & florebit sicut rosa.

Prima hæc similitudo, à rore sumta, ostendit humanæ naturæ sterilitatem, quæ nisi rore cœlesti, verbo videlicet Dei, per Spiritum Sanctum irrigata fuerit, arida manet, neq; vllos fructus, pœnitentia dignos producit. Quemadmodum verò ros, sata ac herbas recreat: Ita Spiritus S. per verbum Dei, homi-

hominum mentes ac corda recreat ac refocillat, vt iam alacres reddantur, ad veros pœnitentiæ fructus proferendos, bona videlicet opera, in vera fide facta, quæ quauis rosa sunt fragrantiora.

Figet radices suas sicut Libanus.

Quia rosa, propter radicis debilitatem, citò marcescit, ideo ne pij, in Dei gratiam recepti, cogitent hanc suam fœlicitatem, instar rosæ, citò perituram, addit alteram hanc similitudinem, à radicibus montis Libani desumptam, quâ monstrat, tantam fœlicitatem piorum, stabilem futuram & diuturnam, non secus ac arbores, in monte Libani, propter radices, quas altas agunt sub terram, magis sunt

durabiles, nec impetu ventorum facilè deijciuntur.

Magna est hæc consolatio, Ecclesiam, quam Diaboli eorumque organa, tyranni & omnes impij, etiam hodie, funditus euertere conantur, quia fundata est in hac petra, qui est Christus, stabilem mansuram & firmam, aduersus quoscunque hostium insultus, ita vt ne portæ quidem inferorum aduersus eam præualeant, id quod etiam sequentibus similitudinibus Propheta docet.

Diffundentur rami eius,
& erit sicut olea pulchritudo
eius, & odor eius sicut Libani.

Tantum abest, vt Ecclesia, licet maximè oppugnatur, prorsus expugnetur, vt etiam maiora indies incrementa sumat, non secus ac arbor frondosa, ramos suos latè diffundit.

Et

Et quanquam externa facies Ecclesiæ, in hoc mundo, squalida sit & contempta, cœtus videlicet exiguus & abiectus, nullâ gloria aut dignitate conspicuus: tamen coram Deo floret, qui eius decore, non aliter delectatur, quàm homines pulchritudine oleæ, aut odore montis Libani, in quo nascuntur arbores maximè odoriferæ, recreantur.

Qui sub vmbra eius sedent recreabuntur.

Est & hæc dulcis admodum similitudo. Quemadmodum enim homines vmbrâ teguntur ab æstu solis: Ita pij, qui in vmbra Dei sedent, hoc est, qui diuinis consolationibus sustentantur, sentiunt veram recreationem, quâ etiam gra-

uißimos periculorum æstus, facillimè restinguunt. De hac umbra loquitur David psal: 17. & 57.

Alentur frumento.

Promißio est bonorum corporalium, de quibus etiam suprà dictum est. Deus enim ornat pios, & spiritualibus & corporalibus bonis, victu & alijs vitæ tolerandæ necessarijs, sicuti dicitur Esaiæ 1. Si volueritis & audiueritis me, bona terra comedetis.

Et sicut vitis florebunt

Ostendit etiam hæc similitudo, magnam Ecclesiæ fœlicitatem, quæ licet hìc ab impijs opprimi videatur, coram Deo tamen floret vt vitis, quæ non solùm latißimè sese diffundit, verùm etiam fructum gignit suauißimum.

Me-

Memoriale eius ficut vi-
num Libani.

Pij in hoc quidem mundo contemnuntur, & veluti reiectamenta abijciuntur, imò crudelißimè etiam, ac ignominiosißimè sæpiùs mactantur: interim tamen, sicut vinum Libani, odore est gratißimum, ita memoria piorum, Deo grata est, quam etiam alij conseruabunt, eorum fidem, constantiam, patientiã ac cæteras virtutes prædicando, sicuti dicitur psal: 112. In memoria æterna erit iustus. De impijs autem loquitur Dauid, psal: 9. Perdidisti impium, nomen eorum deleuisti in æternum, perijt memoria eorum cum ipsis.

Audiuimus hactenus insignem hanc Prophetæ concionem,

in qua, grauißimè primùm, mina-tur regno Iſraël, propter varias ac multiplices iniquitates: Deinde inuitat Omnes ad ſeriam pœniten-tiam, propoſitâ immenſa Dei miſe-ricordia, quâ Omnes, verâ pœni-tentia ad ſe confugientes, in grati-am recipit, fouet, conſeruat: eoſq́; ſpiritualibus, & corporalibus bo-nis ornat.

Simus igitur ſapientes, ac prudentes, ſicuti in fine huius capi-tis, Propheta grauiter monet: Et cogitemus nos, etiam hodie audire Deum, per ſuos miniſtros, hiſce regnis minitantem: Deſolabitur Dania, deſolabitur Noruegia, quia rebellârunt Deo ſuo, & corrue-runt, propter iniquitatem ſuam. Metuamus ſeuerißimum Dei

iudici-

iudicium, & obtemperemus Deo, vocanti nos ad pœnitentiam: neq; deſperemus propter multiplicia ſcelera, quibus iuſtißimam Dei iram, aduerſus nos prouocauimus: ſed ijs ſeriò renunciemus, nihil dubitantes, quin Deus, quæ eius immenſa & ineffabilis eſt miſericordia, nos in gratiam recipiat, ita vt liberrimus nunc ad eum nobis pateat acceſſus, qui per ac propter Filium ſuum, nos verâ eum fide inuocantes, clementer exaudiat, ſicuti die craſtina, fauente Deo, audituri ſumus copioſiùs.

* * *

CONCIO TERTIÆ Diei.

Psalm. 61,



EXaudi DEVS clamorem meum intende orationi meæ.
A finibus terræ, ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum, in petram excelsam deduc me.

Quia factus es spes mea, turris fortitudinis contra inimicos.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in secu la sperabo in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu Deus exaudisti orationem meam, dedisti hæreditatem timentium nomen tuum.

Dies super dies Regi adiicies, annos eius vsq; in diem generationis & generationis.

Permaneat in æternum in conspectu Dei, misericordiam & veritatem para, quæ custodiant illum. Sic

Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi, vt reddam vota mea de die in diem,

ENARRATIO.

PRopositæ sunt proximis superioribus diebus, duæ insignes conciones, in quibus Oseas, veluti in speculo, tùm grauißimam iram Dei aduersus peccatum, tùm immensam & inexhaustam eiusdem misericordiam, erga omnes verè pœnitentes, conspiciendam proponit. Hac tam seria & graui doctrina commonefacti, exuscitemus nos, vt agnitis multiplicibus sordibus nostris, verè doleamus de commißis peccatis, & metuamus iustißimas iræ Diuinæ pœnas, quas peccata nostra meruerunt: Neq; tamen desperemus,

mus, vel ob peccatorum multitudinem, vel ob iræ Diuinæ magnitudinem: sed renunciantes omnibus peccatis, verâ pœnitentia ad Deum accedamus, qui instar benignæ matris, omnes sordes nostras, precioso sanguine filij sui abluet, nosq; in gratiam recipiet, & in quibuscunq; periculis ipsum inuocantes, clementer exaudiet, sicuti regius Propheta Dauid, suo exemplo, in hoc breui psalmo, euidenter declarat, quem docendi gratia in tres partes diuidemus.

1. Ostendit quænam in omni inuocatione, præcipuè sunt necessaria.

2. Docet, Reges & gubernatores piorum precibus, Deo commendandos esse, & quid potissimum à Deo pro ipsis petendum sit.

3. Continet gratiarum actionem.

DE PRIMA parte.

Exaudi Deus clamorem meum &c.

In hac prima parte psalmi, quinq; primis versiculis comprehensa, tria potissimùm occurrunt, quæ in vera inuocatione requiruntur.

PRIMVM, est perseuerantia in precando. Licet enim Deus interdum non statim exaudiat inuocantes, sed differat aliquandiu auxilium: tamen mox desperandum non est de auxilio Diuino, neq; ab inuocatione desistendum: sed magis exuscitandi sunt animi, ad frequenter & euidenter orandum, sicuti hîc Dauid aliquoties repetit precationem, verbis aliquantulum mutatis, & eo quidem feruore, vt etiam in clamorem erumpat. Licet enim

pre-

precantes, plerumq; submissè loquantur, & clamor interdum magis sit in corde, quàm in ore precantis, etiam cùm vel ardentißima est precatio, sicuti testantur exempla Annæ, 1. Sam: 1. & Moysi, Exod. 14. Tamen vbi magnis & subitis periculis vrgentur, precatio interdum fit ita vehemens vt etiam vocem attollant, & vociferentur, quemadmodum Dauid, hîc & alibi paßim in psalmis, precatur vt Deus clamorem suum exaudiat, & hîc dicit se à finibus terræ, in quibus, à filio regno pulsus, tristis & grauißimis doloribus obrutus oberrauit, ardentißimè ad Deum clamasse, vt eius solius ope & auxilio, sæuitia & persecutione hostium tutus conseruaretur, non aliter ac

si in altißima rupe, omni vi humana inaccessa, collocatus esset.

In hoc Dauidis exemplum intuentes, discamus forti & infracto animo, in ardente inuocatione perseuerare, certa spe & fiducia expectantes auxilium diuinum, quod licet interdum differatur, nunquam tamen aufertur, sicuti monet Abac: cap. 3. Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Et Christus ipse, hanc perseuerantiam in precando, pijs omnibus commendat, Lucæ 18. Est enim vis Deo grata, quando precibus piorum, quasi vlnis constrictus, captiuus tenetur, sicuti testatur, narratio de Deo & Moyse, Exo. 32.

SECVNDVM, quod in vera inuocatione requiritur, est vt

ea ad solum Deum, quibuscunq; tandem ingruentibus periculis, etiam vbi nulla apparent humana præsidia, dirigatur, quemadmodum ipse præcipit, psal: 50. Inuoca me in die tribulationis tuæ &c. Et exemplum pijssimi Regis Iosaphat testatur 2. Paral. 20 Qui autem, vrgente aliqua necessitate, aliò confugiunt, grauissimè Deum offendunt, sicuti in hesterna concione dictum est pluribus.

TERTIVM, quod in vera inuocatione requiritur, est certa spes seu fiducia, quâ inuocantes, toti in hunc Deum recumbant, eiusq; opem & auxilium, absq; vlla dubitatione, certò petant atq; expectent, sicuti hîc loquitur Dauid. Quia factus es spes mea. Ne autem hæc spes vacil-

vacillet, ſed certa ſit & firma, obſeruandæ ſunt pulcherrimæ ſimilitudines, quibus Dauid ſpei ſuæ certitudinem declarat, vt & nos inuocantes, iiſdem ſpem noſtram confirmemus.

PRIMA ſimilitudo ſumitur à turri. Sicuti enim turris facilè tuetur aliquem ab incurſionibus hoſtium: Ita qui ardente precatione ad Deum confugiunt, fortiter & intrepidè, inſultus hoſtium ſuſtinent: Turris n: Fortiſſima nomen Domini, Prouerb: 18.

ALTERA ſimilitudo ſumitur à tabernaculo. Quemad: n: qui in tabernaculum magni alicuius principis recipiuntur, ab aliorum iniuria tuti conſeruantur:

Ita quos Deus in suam tutelam recipit, ab aduersariorum iniusta vi & violentia potenter tuetur.

TERTIA similitudo sumitur à velamento alarum, quâ similitudine sæpè vtitur Dauid in Psalmis, veluti, 17. Sub vmbra alarum tuarum protege me. 57. Et in vmbra alarum tuarum sperabo. Et 91. Qui habitat in abdito altißimi, & in vmbra Omnipotentis commoratur. Hæc similitudo, cuius etiam in hesterna concione propheta meminit, omnium est dulcißima, Quemad: enim pulli, latitantes sub alis gallinæ, conseruantur, ne eos vel imbres vel frigora, vel aues ijs insidiantes, lædant: Ita Deus omnes ad se confugientes, diuina sua pro-

tectione,

tectione, à quibuscunq; periculis immunes conseruat. Hac similitudine Christus ipse delectatus est, Matth: 23. Quæ diuinam solicitudinem ac protectionem omnium euidentissimè pingit.

Quod sequitur in quinto versu: Quoniam tu Deus exaudisti orationem meam &c. *Ostendit Dauidem, memoriâ præteritorum beneficiorum, à Deo perceptorum, spem suam confirmasse, vt non aliter sibi de fœlici liberatione à præsentibus periculis gratularetur, quàm si illa iam contigisset. Nihil enim hominem ad benè sperandum de auxilio Dei, magis inuitat, quàm superiorum beneficiorum recordatio. Ea autem beneficia, nominat Dauid hæreditatem timentium*

nomen Dei, hoc eſt, piorum omnium, quorum ea hæreditas eſt propria: Vera ſcilicet Dei agnitio, veræ doctrinæ poſſeſſio, læticia in Deo aquieſcens, & ſpes futuræ vitæ. Hæc tanta tamq; incomparabilia bona, quæ antea à Deo perceperat, confirmant animum Dauidis, de auxilio diuino, certa ſpe atq; fiducia, in poſterum quoq; expectando. Diſcamus igitur, hoc Dauidis exemplo moniti, inter precandum, priora Dei beneficia in memoriam reuocare, vt eorum recordatione, de alijs ſimiliter impetrandis, ſpem noſtram confirmemus.

**
*

DE SECVNDA parte.

Dies ſuper dies regi adijcies, annos eius vſq; in diem generationis & generationis.

Permaneat in æternum in conſpectu Dei, miſericordiam & veritatem para, quæ cuſtodiant illum.

Secunda pars Pſalmi docet piorum ſubditorum eſſe, diligenter apud Deum, pro magiſtratu preces fundere, qui Dei miniſter eſt, ab ipſo ordinatus, Rom: 13 & cuius beneficio, plurima bona ad ſubditos redeunt, quæ Paulus recenſet 1. Tim: 2. Ideoq́ ſeriò exhortatur, vt petitiones & gratiarum actiones, fiant pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui præſunt. Quæ autem præ-

cipuè à Deo pro ipsis petenda sint, breuiter hîc à Dauide indicantur.

Primùm igitur rogandus est Deus, vt reges & gubernatores, qui hospites sunt & nutritij Ecclesiæ, diu incolumes & florentes conseruet, eorumq́ gubernationem fœlicem & diuturnam reddat: Nam, vt in alijs rebus, ita quoq; in regnorum & aliorum officiorum administratione omnis plerumq; mutatio, periculosa esse solet, quemad: & sacræ & profanæ historiæ luculenter testantur. Quod autem hîc dicitur: Annos eius vsq; in diem generationis & generationis, non de ipso Dauide, sed de eius posteritate, & ipso Christo, cuius typus erat Dauid,

intelligendum eſt. Nam Dauid, & ſi ad extremam ſenectutem peruenit, mortuus anno ætatis 71. Vt ſcribitur, 2. Sam: 5 Tamen non exceßit vnius hominis ætatem, nedum plures generationes: referendum igitur hoc eſt ad eius poſteritatem, apud quam, iuxta promißionem Dauidi factam, 2. Sam: 7. manſit regia dignitas, vſq; ad Meßiam, ex Dauidis ſemine oriundum, qui adueniens nouum regnum eßet inchoaturus, duraturum à generatione in generationem, hoc eſt, in omnem æternitatem, cuius nullus vnquam futurus eßet finis. Luc. 1.

Deinde rogandus eſt Deus, vt pios reges, & quoſcunq; gubernatores, ita regat in vita & voca-

tione, vt cogitent se habere Deum, præsentem omnium suarum actionum inspectorem, cui tanquam supremo ac summo magistratui, officij administrati rationem aliquando reddituri sunt. Quia verò conspectus, seu facies Dei in scriptura, etiam diligentem inspectionem, curam paternam & defensionem significat, monemur hac ipsa precatione, rogandum eßе Deum, vt pios gubernatores clemente & benigna facie aspiciat, hoc est, eorum curam suscipiat, foueat, tueatur atq; defendat eos, aduersus iniustam vim & varia pericula, armet eos virtute & succeßibus, ne à suis hostibus opprimantur, adiuuet eorum gubernationem, vt subditis salutaris sit & Deo grata:

breuiter, oculo suo eos regat, iuxta dulcißimam promißionem Psalm: 32. vt in tota sua gubernatione, Deum, cuius ipsi sunt vicarij, in conspectu habeant, vtq; omnia eò dirigātur, vt vera doctrina de Deo eiusq; beneficijs, sonet in Ecclesijs, vtq; ea pura & incorrupta, ad posteros transmittatur: vt vigeant honestæ leges & disciplina: omniaq; ad Dei gloriam, & communem subditorū salutem & vtilitatem referantur.

Postremò, quia reges & qui in eminentia aliqua sunt constituti, multis ac varijs insidijs, omni momento, præ alijs, sunt expositi, quæ nullâ sapientia aut diligentia humana vitari poßunt, sicut multarum illustrium personarū exem-

pla, etiam hodiè testantur, quæ mirabiliter ab aduersariorum insidijs, singulari Dei bonitate detectis, seruatæ sunt: diligenter rogandus est Deus, vt pios reges, & gubernatores, propter suam misericordiam, & suarum promissionum veritatem, in suam tutelam recipiat, eosq́; ab omnibus insidiis, & fraudulentis hostium suorum machinationibus, clementer tueatur atq; defendat.

Cùm autem hoc ipsum, etiam ad regum & gubernatorum personas, meritò referri debeat, nimirum vt & ipsi, misericordes sint & veraces: non minus & hoc assiduis precibus, à Deo contendendum est, vt reges & gubernatores hisce virtutibus instruat, quæ

sunt

ſunt præcipua eorum ornamenta. Non exercebunt iniuſtam vim & tyrannidem aduerſus ſubditos: ſed eos paterno amore complecten- tur, tuebuntur & defendent. Non debent eſſe vani, ſed veraces, ſer- uantes fidem & conſtantiam in promiſſis. Non decet Principem labium mendax, inquit Salomon, Prouerb: 17. Hæ virtutes maxi- mè commendant reges, & omnes gubernatores: animos ſubditorum ipſis facillimè conciliant, & firmiſ- ſima regum & regnorum præſi- dia ſunt, ſicut teſtatur Salomon, Prouerb: 20. Miſericordia & ve- ritas cuſtodiunt regem, & mi- ſericordiâ ſtabilitur thronus eius.

Sic Psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi, vt reddam vota mea de die in diem.

Epilogus Psalmi, commonefacit nos, vt exemplo Dauidis, grati simus Deo, pro præstitis beneficijs. Est enim gratiarum actio, præcipuus cultus, quem requirit Deus ab ijs, quibus benefecit, sicuti ipse præcipit, Psalm: 50. Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & glorificabis me. Vtrunq; vult Deus, & inuocari tempore tribulationis, & agnosci sua beneficia, eaq; gratâ semper memoria celebrari, quemad: etiam hoc loco Dauid, ad Dei laudes, quæ per vota intelliguntur, sine vlla inter-

missio

missione deprædicandas, sese astringit.

Hoc Dauidis exemplum etiam nos excitet, vt agnitis plurimis ac maximis beneficijs, quibus affatim à Deo quotidiè cumulamur pro ijs dignas gratias Deo agamus.

Ac primò quidem agnoscamus singulare & maximum Dei beneficium, quòd lucem Euangelij sui, in hisce regnis accenderit, & in tantis dissidijs, docentes atq; discentes in Ecclesijs & Scholis, in vera concordia hactenus conseruârit, pro hoc tanto tamq; immenso Dei beneficio, gratias agamus Deo, eumq; seriò & ardenter precemur, vt tantum bonum, perpetuum in hisce regnis esse velit,

vtq;

vtq; Ecclesiam suam, aduersus Diabolum eiusq; organa, quæ eam funditus delere conantur, potenter tueatur, defendat, conseruet.

Deinde agnoscamus præcipuum Dei donum esse, Regem tam pium & clementem, hisce regnis à Deo datum, qui omnem curam, diligentiam & studium in eo ponit, vt vera de Deo doctrina, in hisce regnis Ducatibus & prouincijs, purè ac syncerè tradatur: vt vigeant honestarum artium ac disciplinarum studia: vt docentibus in Ecclesijs & Scholis, honestis stipendijs prospiciatur, & discentium inopia, liberali & rege digna eleemosyna subleuetur: vt seruentur honestæ leges & iusta disciplina: vt retineatur publica pax

pax & tranquillitas: vt ſubdito-
rum animos, beneuolentiâ & fauo-
re, magis quàm metu ſibi conciliet:
Hoc ſingulare Dei donum grati
agnoſcamus, & veris cordis gemi-
tibus Deum oremus, vt eius Maie-
ſtatem, in tantis bellorum motibus,
ac rerum penè omnium ſtatu turbu-
lentiſsimo, diu incolumem & florē-
tem conſeruet, eamq́; ab omnibus
aduerſariorum inſidijs clementer
tueatur, donec tandem in placida
& quieta ſenecta, regnorum admi-
niſtratione, optimæ ac verè regiæ
indolis filio, Chriſtiano, tradita,
lætus ex terreno hoc, in cœleſte
illud regnum emigret.

Hæc & alia innumera Dei be-
neficia, gratâ mente agnoſcamus,
& Deum toto pectore oremus, vt
ſere-

serenißimam Reginam nostram, regiamq́ sobolem, cum amplißimo totius regni Senatu, ac florentißima horum regnorum nobilitate, omnibusq́ incolis & subditis, quàm diutißimè in incolumi & fœlici statu conseruet: Auertat ab hisce regnis bellum, famem, pestem & quæcunq́ alia mala, peccatis nostris debita. Mitiget præsentes & imminentes pœnas, quas iustißima ira Dei nobis minari videtur, vt in vero Dei timore, iugulatis omnibus peccatis, pacificè & tranquillè viuentes, Diuinis benedictionibus læti ac gratis animis fruamur, Deumq́ Patrem cum Filio & Spiritu Sancto, hîc & in futura vita, perpetuis laudibus celebremus.

Amèn.

ORDI-

ORDINATIO PRECAtionum, Epistolarum & Euangeliorum, quæ singulis Diebus recitabuntur.

PRIMAE DIEI Precatio siue COLLECTA.


Du Naadefulde oc Barmhiertige Gud oc Fader/ wi Arme Menniske / komme for dit Ansict/ oc aff voris gantske Hierte/ bekiende voris mangfoldige Synder/ met huilcke wi haffue fortørnit dig / oc opuackt din Retfærdige vredis Heffn oc Straff offuer oss: Wi bede dig ydmygelige / O Naadige Fader/ At du icke vilt gaa i Rette met oss/ oc icke handle met oss effter voris Synder / oc din strenge Retfærdighed / Men du vilt Naadelige forbarme dig offuer oss/ oc mit vdi

din vrede/ tencke paa din Faderlige Naade oc Barmhiertighed/ paa det wi icke skulle endelige Vdeleggis. Du vilt Naadelige forlade oss alle vore Synder / oc hielpe oss formedelst din Hellig Aand / At wi maa affstaa all Synd oc Ondskab / oc altid skicke oss effter din vilie oc Befalning / baade mod Gud oc Mennisken/ At wi maa nyde dine gode Gaffuer oc Benedidelser / baade til Land oc Vand / oc saa Endelige met dig bliffue Salige / ved din

Eniste oc Elskelige Søn
Jesum Christum
vor Herre/
Amen.

LOCO EPISTOLÆ,
Oseæ 4.
Audite verbum Domini &c.

EVANG: Lucæ. 3.

Initium. Dicebat ergo ad turbas.
Finis. Omnis ergo arbor.

SE-

Collecta.



O Almectigste Euige Barmhiertige Gud/ oc Naadige Fader/ du som est saa Naadig oc Barmhiertig/ At du icke vilt nogen Synderis Død/ Men at hand skal omuende sig oc leffue: Wi bekiende voris store wlydighed/ oc andre voris mangfoldige misgierninger/ formedelst huilcke wi ere faldne fra dit venskab/ vnder din store oc retferdige vrede: Wi bede dig O naadige Fader/ At du vilt røre voris Hierter met din Hellig Aand/ at wi maatte frycte for din Vredis grumhed/ Oc aluorlige Angre oc fortryde vore mangfoldige Synder/ omuende oss til dig/ oc rætte oc bedre voris Syndige leffnit/ oc altid være dig lydige/ som voris kiere Fader/ At wi maa leffue vdi din frycht/

oc Nyde dine gode Guddommelige oc Faderlige gaffuer baade Aandelige oc Legemlige / for din Eniste oc Elskelige Søn/ Jesum Christum vor Herre/
Amen.

LOCO EPISTOLÆ
Oseæ. 14.
Deuastabitur. Samaria &c.

EVANG: Lucæ. 13.
Initium. Aderant autem quidam.
Finis. Omnes similiter peribitis.

TERTIÆ DIEI
Collecta.

O Euige / Naadefulde oc Barmhiertige Gud/ oc Alsomkieriste Fader / wi tacke dig / at du aff din wsigelige godhed / haffuer begaffuit disse Lande oc Riger met din Hellige

Hellige oc Salige Ord/ oc en Chri-
sten oc Gudfryctig Offrighed met
mange andre dine wsigelige oc
mangfoldige Gaffuer oc velgier-
ninger/ som du oss Endnu daglige
beuiser: Wi bede dig ydmyggelige
O Naadige Fader: Du vilt icke
for voris store wtacknemmeligheds
skyld/ tage saadanne dine Gaffuer
oc velsignelser fra oss: Men dennem
helder Aff din Faderlige godhed
Naadelige beuare oc formere: Du
vil Naadelige beuare oss dit hellige
oc Salige Ord/ oc Ordsens Tiene-
re/ i en Christen Enighed oc Sam-
drectighed. Du vilt see Naadelige
til voris Naadige Herre oc Kon-
ge/ Kong Frederich/ oc holde han-
nem vdi din Guddommelige be-
skyttelse oc beskermelse: Du vil be-
gaffue hannem met ret Viisdom
oc Forstand/ Oc alle andre Kon-
gelige Dyder: Du vilt Naadeli-
ge beuare hans Naadis Høybaar-

ne Førstinde / Dronning Sophia/ Den vnge vdualde Herre / oc de Andre deris Elskelige Børn : At de met menige Danmarckis oc Norgis Rigers Raad oc Adel / oc All Christen Øffrighed / oc Vndersaate/ formedelst din Guddommelige beskyttelse oc beskermelse/ Maa Naadelige beuaris fra all Fare oc vlycke/ fra Krig oc Orloff/ Pestelentze/ Hunger oc Dyr tid / oc alle andre velfortiente plager : Du vilt regere Alle deris Raad oc Anslag / til dit hellige Naffns ære / Oc giffue voris Naadige Herre oc Konge / it Languarende/ Lyckfaligt oc Fredsommeligt Regimente / Saa at wi met alle andre hans Naadis Vndersaatte/ kunde leffue i it Roligt oc Fredsommeligt leffnit / vdi all Gudelighed oc ærlighed: Ved den samme din Eniste/ Elskelige oc Enbaarne Søn/ Jesum Christum vor Herre/

Amen.

LO-

LOCO EPISTOLÆ,
Psalm: 61.

Exaudi Deus clamorem meum &c.

EVANG: Lucæ. 18.

Initium. Dicebat autem & parabolam.

Finis. Quia citò faciet vindictam eorum.



